

nititur esse almirandum et gubernatorem et habere vicem regis per se, et suis hæredibus et successoribus, et habere decimas et alia jura in omnibus insulis descopertis et descoperiendis intra omnes limites demarcationis juxta tenorem capitulationum et earum confirmationem de novo concessionum; ex parte fisci asseritur contrarium, scilicet, illa jura esse regia, et soli principi pertinentia, et non potuisse ab eo abdicari, nec de ejus coronâ, nec potuisse alienari in præjudicium successorum per viam donationis meræ nec contractationis, nec alio modo.

*Et primo pro parte dicti Colon faciunt sequentia.*

Primo facit capitulum primum dictæ capitulationis factæ en Santa Fé año de 92, á 17 de abril, et ejus confirmatio facta en Granada eodem anno, á 30 del mismo, et per aliam datam en Barcelona, á 28 de mayo de 93, et per aliam datam en Burgos, á 23 de abril año de 97, ubi supradicta jura sibi conceduntur in omnibus insulis quæ manu Cristophori Colon, vel ejus industriâ, fuerint descopertæ et descoperiendæ, descoperiunt ejus industriâ, quia ipse dedit causam et principium.

Nam illa dictio o, quæ est idem quod *aut* disjungit, et sufficit utramque partem esse veram, ut in L. penultima C. de verborum signif.

Nam licet aliquæ insulæ factu et manu aliorum et non suâ sint inventæ, tamen fuerunt ejus industriâ.

2º Facit quia istud privilegium dicto Cristophoro Colon fuit concessum per viam contractûs, et in tali casu privilegium debet servari, nec rex potest eum revocare, maxime quia fuit factum cum non subdito, ut per Abbatem in capitulo suggestum de decimis, fin. columna, cum aliis, et per Bart. in L. quod semel ff. de decretis ab. ord. fac., et per Bart. in repetitionem L. omnes populi ff. de just. et jure, in decimâ columnâ, ut si fuit proclamatum quod venientes ad talem villam causâ habítandi in eâ, haberent immunitatem decem annorum, non potest illa immunitas revocari quoad eos qui jam venerunt, ut in dictis locis.

3º Facit etiam quod singulariter dicit *Bal.* in L. qui se patris